



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia|| Ivridica,|| Sev Ivs Civile Theologicvm,||

Fickler, Johann Baptist

Dilingæ, 1575

VD16 F 976

De Religione, Fide Et Ecclesia Catholica, Ad Qvæ Totivs Libri,
Insertarvmqve Legum farrago se potissimum, licèt diuersis Capitulis,
refert. Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63414)

DE RELIGIO-
NE, FIDE ET ECCLE-
SIA CATHOLICA, AD QUÆ TO-
TIVS LIBRI, INSERTARVMVE LE-
gum farrago se potissimum, licet diuersis
Capitulis, refert.

P R Æ F A T I O.



ECTE DIXIT GAIUS IV-
risc. cuiusque rei potissimam partem
esse principium. l. 1. ff. de orig. iur. cui
accomodè adiecit Accursius, dimi-
dium facti, eum qui benè cœpit habe-

Principiū bo-
num potissi-
ma pars ope-
ris.

re, per glo. in d. l. 1. Nam vnico principio illicito dato
plura sequi incommoda, Iustinianus ait Imp. in proœ-
mio Auth. Vi iud. sine quoq. suffr. & c. coll. 2. Benè
autem & competenter vniuersa geri, si rei principiū
fiat decens & amabile Deo, in proœm. Auth. Quom.
oport. Episc. & cler. & c. Ideò quæ malo inchoata sunt
principio, vix est vt bono peragantur exitu, iuxta c.
Principatus. 1. q. 1. Quandoquidè igitur à Deo nobis
capienda sunt agèdi primordia, insigni pietate clariss.
Principem Iustinianum, & optimum quemque vi-
rum imitaturus, ad immortalitatis præsidium respicio,
& summo numine inuocato Deum authorem, &
totius operis mei præsulem exopto et inuoco. l. tanta.
1. nos itaq. C. de. vet. iur. enucl. animumq. meum ad
omnipotentis Dei erigo adiutorium, & ad summæ
Trinitatis solam prouidentiam spem meam refero,
vnde totius mundi elementa processerunt, & omniū
rerum dispositio in orbem terrarum producta est. C.
A diff.

Cic. lib. 1. de
legib.

2
 dict. tit. in prin. Is in hoc opere & omnibus alijs actio-
 nes meas aspirando praeueniat & adiuuando profe-
 quatur, ut omne meum institutum à spiritu sancto
 incipiat, & per eundem finatur. Haustus autem
 diffusè ex iuris ciuilibus fontibus, potissimè verò Chri-
 stianiss. veteris seculi Imperatorum Rom. clarissimu-
 stissimisque legibus collecturus ea (non quidem nunc
 ad lites, strepitumq. Fori spectantia, sed) quae ad Ca-
 tholicæ fidei & agnitionis Christi Iesu eiusq. Eccle-
 siae ornamentum ac defensionem contra obstinam
 malitiam Iudeorum, Paganorum, & hereticorum
 (quos eadem iura ut plurimum & rectissimè com-
 parare & in eadem societate coniungere solent, ut in
 l. si. his itaq. dispositis. C. de episc. & cler. & C. Ne
 Christian. mancip. heret. vel Iud. vel pagan. hab. & c.
 & alijs iurib.) facere viderentur; ab Ecclesia catho-
 lica (quam Romanam vocamus) religione hunc li-
 brum auspiciari non absurdum fore arbitratus sum.
 Huius ex scaturigine ac fonte tam diuinitus quam
 etiam humanitus ea videntur praecepta emanare,
 quae in primis Dei Opt. Max. cultum, ac post deinde
 publicam honestatē, et ipsam inter mortales animorum
 coniunctionē, quam Theologi charitatem nominare
 solent, conseruata volunt. Eam verò, praesertim quae
 Deum eiusq. verum cultum respicit, non in mentis
 solummodo latebris ac penetralibus vel nuda confes-
 sione, ut peruersè quidam sentiunt, verum etiam in
 externis quibusdam ritibus ac caeremonijs consistere
 manifestum est. Religio enim non tantum ius cuius-
 dam superioris naturae est, sed & eadem curam caer-
 moniamque nobis affert: sic glo. in l. 1. C. de sum.
 Trin.

Judai, Paga-
 ni & heretici,
 eadem socie-
 tas.

Religio nuda
 nulla.

Trin. et fid. cath. sic dicta. Isidoro teste, quod per eam
uni soli Deo religamus animas nostras ad cultum
diuinum, animo (non solum credendi) seruiendi. Quod
si religantur anima nostra, ut seruiant Deo immor-
tali, manifestum est non sufficere solam agnitionem
et credulitatem, quam etiam diabolus habet, et co-
tremiscit, quam et Iudaeus, Turca, et haeretica pra-
nitatis quilibet habet, sed frustra, quantumuis id etia-
gant, quod virum honestum ornare, commendareq;
potest: causa est, quod e via regia exorbitantes in la-
pidem illum angularem, Christum, sedem impingunt.
Non etenim factum ipsum, sed faciendi causa inspi-
citur. l. verum. ff. de furt. et omnis actio ex agentis
intentione iudicanda est. l. 1. C. ad leg. Corn. de sica.
Apparet igitur nullam aliam spem vitae homini esse
propositam, quemadmodum praecclare Lactantius ait,
nisi ut abiectis vanitatibus et errore miserabilibus
Deum cognoscat eiq; seruiat: nisi huic temporali re-
nunciet vitae, ac se rudimentis iustitiae ad cultum re-
ligionis instituat. Hac enim conditione gignimur, ut
generati nos Deo iusta et debita obsequia praebea-
mus, hunc solum nouerimus, hunc sequamur. Hoc
vinculo pietatis obstricti Deo, et religati sumus,
unde ipsa religio nomen accepit. Religio autem ca-
lestis constat ex virtutibus et eo cultu, qui oritur in
caelo, ubi mens colentis se ipsam Deo immaculatam
victimam sistit. Hac proinde vera religio non pati-
tur defectum in genere, sed religiosus non item: unde
dictum est; septies in die cadit iustus. glo. in l. inter
claras. sup. ver. Ver a religio. C. de sum. Trin. et fid.
cath. Nihil enim est quod ita nequeat occasui subia-

Isidor. lib. 18.
 Etym.

Fidem solam
 non sufficere
 ad salutem.

Lact. lib. 4.
 cap. 26. Diui-
 nar. instit.

Religio vnde
 constat.

Religio cath.
 non occidit.

cere quam vera religio. d. l. Inter claras, & ibi glo. qua est illa ipsa quam profitetur & pradicat sancta Dei catholica & Apostolica Ecclesia, iuxta l. 4. C. eod. tit. Hanc scilicet tuetur, hanc amplectitur, huic praesidet ipse Deus, ex hac exoritur homini Christiano aeterna salus, qua tergiuersantibus atq; in deuium abeuntibus haereticis denegatur: in hac fidelis anima aeterni splendoris praemium consequitur, cui tunc recte dici potest: surge illuminare Hierusalem in splendore ortus tui, ut ait glo. fi. in l. fi. C. de fer.

Extra Catho.
Ecclesiam no
est talus.

Ad Sectas no
defiscenda.

Aliena no cu-
randa.

Quod cum ita sit quam indignè faciunt qui ab ea diffugiunt, qui diuerticula quaerunt, qui haereticorum atq; opinionum praestigijs fascinati ad sectas abeunt, religionem quaeritantes ubi nulla est. Quid enim quaeso, inuenias extra id quod est catholicum? Quid inuat curiositas illa, imò temeritas audacissima & perniciosa, qua sacram hanc religionem sanguine Christi filij Dei imbutam, tot Martyrum fuso cruore testificatam, tot sanctissimorum virorum atq; adeo Maiorum nostrorum admirabili consensu per omnia loca, perq; omnia tempora, tam continua & nusquam interrupta serie corroboratam, in dubium vocare, atq; impijs contentionib; altercando conuellere audes? Et tu quidem plerumq; qui eius arcana minimè assequeris, & à cuius officio id agere longè alienum est, in quo culpa carere minimè potes. l. culpa est. ff. de reg. iur. Quilibet nanq; curare debet id quod sui non quod alieni iuris est, ut Imperator ait in l. Quicumq;. C. de executorib; lib. 12. Quanto maiori autem poena obnoxius erit, qui sacrata huius religionis à spiritu Dei tradita instituta & dogmata corruptissimis opinionib;.

mb. Scierit atq; prudenter inductis, dilacerat, & pios animos conturbat?

Quam verò in Ecclesia Dei iam indè ab ipsis Apostolorum temporibus eiuscemodi temeritas fuerit exosa & abominabilis, hisce legibus quæ ex vetustissimis optimorum Imperatorum placitis à me recensentur, liquidum fiet, quæ perditos illos homines de sacra religione temerè disputantes, atq; suis in erroribus, per seuerantes ultore gladio excindi atq; diris deuoueri iubent. l. Manichæos. C. de hæret. & Manichæi. & l. Arriani. C. eod. tit. nihilq; loci eis relinquendum esse censent, in quo ipsis etiam elementis iniuriam inferre valeant. d. l. Arriani.

Hæretici gladio feriendi.

Communis (pròh dolor) etiam hisce nostris temporibus licentia perniciosissima durat, de mysterijs religionis & fidei non modo inter vertiginosos quosdam sciolos, verumetiam inter cerdones, lippos atq; tonsores palàm & in angulis, atque vt plurimum in vino redolentibus tabernis disputare: vbi etiam non raro vsq; ad verbera de religione & sacra scriptura

De religione non temere disputandū.

inertissimi homines rixantur. Apud Ethnicos piaculare flagitium fuit de religione Deorum (qui tamen mera fuere idola) temerè disputare, id quod Cicero malam & impiam consuetudinem vocat, siue ex ani-

Gentiliū studiū circa cultum Deorū. Cic. lib. 2. de nat. Deor.

mo hoc fiat siue simulatè: sed homini de potestate eorundem timidè & pauca dicenda esse statuerunt. Hinc meritò commendatur ab Eusebio præclara illa Platonis sententia, Is vobis quidem, inquit, si rectè constitutæ sunt leges, vna certè lex erit præclarissima, quæ iubeat, ne quis inueniunt quærere audeat, re-
fle ne an contra se leges habeant: sed vno omnium

Idem in orat. pro lege Manilio.

Plato lib. 1. de legib.

ore, vnaq; voce rectè, tanquam à Dijs positas concedi præcipiat, nec vlllo modo aliter pati quicquam à iuuenibus cogitari. Senem autem, si quid excogitarit, principib. & aequalibus, nemine iuuenum audiente referre. Opera præcium est animaduertere hic, qualem curam atq; sollicitudinem adhibuerint Gentiles, ne quid cultui vanissimorum idolorum, atq; profanis legibus detraheretur: & nos Dei viuentis religionem, Euangelium, Apostolorum & sanctissimorum orthodoxæ Ecclesiæ Patrum ac legislatorum veneranda scripta cum disputando, tum scribendo ab impuriss. apostatis proscindi, atque dilaniari patiamur? O negligentiam nullo seculo expiandam. Irriunt vndiq; lupi rapaces, seductores, sacrilegi, etiam aperte, quidam verò clam subrepunt in villas, oppida & ciuitates Catholicorum, nefandam mentem occultantes, tantisper donec eam in conditionem vel locum perueniant, vnde virus suum effundere, atq; religioni tanquam per cuniculos insidiari queant. Illi furtim tales nutriunt scintillas, quæ antequam à desidiosis, & in rem suam magis attentis magistratibus animaduertantur, in apertas flammæ erumpunt.

Hereticorum
frandes infidiose.

Tria sanè potissimè esse videntur, quæ hisce turbulentiss. temporibus summa ope ac studio curanda forent, quæ si accuratius administrarentur, fieri non potest, quin malè affecta religio præter opinionem citius respirare queat. Nititur autem resp. præsertim in Germania tribus præcipuè fulcris ijs videlicet, Pastoribus, quos aliàs Parochos nominare solemus,

Tria fulcra
reip. Germanicæ.

mus, item magistratu ciuili, ac deindè morum doctrinæq; informatoribus, qui aliàs Ludimoderatores, seu scholarum magistri dici consueuerunt. Hisce tribus hominum generibus respubl. vel conseruari, labefactaque instaurari, vel penitus eueri potest. Et quod inuerso ordine à minimo scilicet (si sic reputare volumus) incipiam, pergendo ad summum. Nam quicquid Praceptor, scholæue rector iuuenibus (qui subindè decedentibus senioribus succedunt, & parentum locum occupant) instruendo quodammodo plantat: id Pastor diligens in adultis Ecclesiastica doctrina irrigat, crescere, Deo propitio, facit, atque confirmat. Magistratus autem eos, qui & praceptoris, & Pastoris cura educati sunt, in officio retinet: adeò quòd hisce tribus muneribus quaedam conglutinata & indissolubilis necessitas penè inesse noscatur, si officij memores esse velint. Nunc si animis isti eo in officio, quod per se ad bonum finem militat, consentiant, quod iure atque merito esse debet: si nimirum Praceptor iuuentutem bonis candidisque literis erudierit (à Catholica enim schola procul facessere oportet eas disciplinas, quæ pestiferis virulentisque nonnullis glossematibus & adiectiunculis à recentioribus illis sectariorum Grammatistis, qui triuiales artes, & pleraque alia humanarum literarum scripta contra l. si falsos. C. ad leg. Corn. de fals. corruperunt, infecta sunt) & optimis moribus instituerit. Pastor autem fidelis super ea fundamenta, quæ pridem in pueris foeliciter iacta sunt, si doctrinam Euangelij iuxta Ecclesiæ Catholice

Tria officia seruant vel perfundant temp.

Magister scholar.

Parochus.

De officio Scholarum magistri.

Gramatistarum quorundam fraus in corrupendis artibus.

De officio Parochi.

De officio Ma-
gistratus.

Magistri per-
uerfitas quan-
tum noceat.

certissimum sensum & intellectum extruxerit, & animum in vera fide, virtutum, bonorumque operum attrice consolidauerit, atque ceteram plebeculam in fidei simplicitate conseruauerit: iam quasi pro Colophone orthodoxus Magistratus fuerit, qui suo favore virtutum rectaque fidei studiosos homines vndique amplectetur, atque ut sedulo in bene cepto cursu pergant, calcare quodammodo adurgebit. Exorbitantes autem atque degeneres, si quos ipse suapte vigilantia perspexerit, vel huiusmodi aliquid Pastoris iudicio (cui maxima cura esse debet in discipulos inquirendi) acceperit, saltem formidime, vel si res postulet, ipso pœne rigore, ut officium faciant, coercendo compellet, aded ut cognoscant ipsis durum fore, si contra stimulum calcitrare fuerint nixi, iuxta glo. in auth. ad ea C. de usur. At si delictum atrocius sit, quam quod medela reparari possit, tunc Iustiniani consilio, delinquens à bonorum cohabitatione prorsus expellatur, ut cum se ipsum à melioribus ad deteriora contulerit, ipse solus improbitatis suæ damnum capiat, neque vitiorum suorum aliquid ceteris contagione affricet quemadmodum peste laborantia & incurabiliter ægotantia solent pecora. Auth. De monach & ascetr. §. certe si quis delinquat. coll. 10. Quod si sic fiat, quis non videt quam in omni conditione hominum tam rerum politicarum quam sacrarum Antistites atque Principes obedientiam, tranquillitatis attricem & conseruatricem sint habituri? At si quidem Præceptor seu Moderator ludi homo nequam est, & sementem malignitatis ac hæreseon in iuuentutem sparserit, vix est quod catholicus Pastor, & con-
cionator

tionator doctrina sua, quantumvis fidelis, deinceps fructum faciat: sed ut timendum (nisi quem spiritus Dei singulari afflare gratia voluerit) operam una cum oleo perdet. Deprauatas etenim opiniones animis adolescentum semel insitas, si radices egerint, rursus extirpare admodum operosum est: sed qui radices non euellit, frustra conatur incidere ramos. c. quia radix. De pœnit. dist. 2. Porro si Præceptor & Pastor fidem, operam atq; diligentiam in excolendis animis vulgi cuiuscunque ætatis, coniunxerint, non inutilis fortè sequetur effectus. Sed magistratus civilis si fuerit vel ignauus, vel aduersa religione infectus, curam publicæ disciplinæ, qua boni laude ac præmijs afficiuntur negliget: aut eos, quibus nouitas arridet, pro libidine viuere sinet conuiuendo: vel si ita frontem perfricuit, ut etiam vitæ moribusq; iam apertè ostendat se parum vel ea curare quæ sunt fidei ac religionis, vel cõtrarium orthodoxæ fidei planè sequi mox plurimos secum exemplo pernicioso trahet. Euidens enim atq; compertum est, quòd vulgus subditorum oculos suos communiter in Magistratum conijcit, eiusq; vitæ rationem multò pronius, quam Parochi sui pios mores, vel doctrinam imitari sibi proponit. Hæc verò quid efficiet fidelitas Præceptoris, quid cura Pastoris, vbi subditi quodlibet licere sibi cognorint, postquam Magistratus animus abstractus est à mente Parochi? Sic enim fit, ut quod alter extruat, alter è regione destruat.

Noueram ego quendam delegatum Magistratū, genere nobilem, haud vili in loco apud catholicos administrantem, cui cum eius loci Ecclesiastes catho-

Mala opinio
si radices agit,
vix eradicatur.

Magistratus
hæreticus
quantū obstitit

Præsumpta
negligentia
cuiusdā præfecti.

gum eorum, quos inter suos Paracianos & sacramenta negligere, & ipsam religionem contemptui habere, neq; pijs admonitionibus locum dare senserat, aliquando obtulit, rogando atque commonendo, ut tergiuersantes illos terrore ciuiliis pœnæ in obedientiam cogeret. Is verò, cum & ipse parum dextrè de religione catholica sentiret, Euangelica ira percitus, sehedam illam in qua rebelles consignati erant, in frustra discerpens, humi proiecit, pedibus insiliit, conculcauit, & nummàm ego, inquit, Ecclesiastica censura præfectus sum? Non secus ac si Cæinum illum imitaturus: nunquid ego fratris mei custos sum? dicere voluisset. Atque ita Plebanum illum re infecta dimisit. Idque mihi tum ab honestis & fidedignis veris relatum est.

De clancularijs Cath. doctrinæ corruptoribus.

Hoc autem, de quo diximus, malo deterius est, vbi & Praceptor, & Pastor & Magistratus eiusdem sunt farinae & in eandem perniciem conspirant. Cui malorum cumulo accedit, quòd nonnullarum ciuitatum hæreseon proclamantes, per alia quædam organa Diaboli deprauatæ doctrinæ libellos, quod experimento didicimus, in ditionib. catholicis spargunt, ac titubantibus in fide, rerumq; nouarũ studiosis subministrant, quibus insidiosis machinationibus scintillis per falsos fratres, hoc est, subdolos Ludimoderatores atq; Pastores latèter iniectis, incendium suæ hæresis magis magisq; excitant. Huius secis tenebriones ipse quandoq; peregrè proficiscendo in catholicorũ pagis, oppidisq; apud eos hospites, quos sibi ad hanc imposturã idoneos esse censebant, latitantes deprehendi.

Quid proindè agat hic catholicus Princeps, vt peruersa-

uersionem seductionem, corruptionemq; subditorum,
& motus pub. declinet, vel euitet? Audiui nonnun-
quam intempestiue conquerentes atque admirantes,
vnde tanta subditorum malitia, & propemodum im-
medicabilis proteruitas existeret. Quasi verò nō satis
causa in promptu sit, vnde hæc nasci queant. Nihil
iam dicam de vtriusq; status quorundam Magistra-
tum noxijs exemplis, quæ sola sufficerent aliquam
secum trahere ruinam. Hoc autem tacere nō possum,
quòd si catholicorum Principum studio vigilantior
in tres illas, quas recensui, hominum conditiones ad-
hiberetur inquisitio (quod certè apud Hæreticos ac-
curate fit) facili fortè remedio rebus labentibus suc-
curri posset: nec difficiliore deinceps labore, vt reor,
vulgus subditorum in ordinem redigi queat. Sed ego
quidem de religione auita, orthodoxa, & quid de ea-
dem legibus olim constitutum fuerit ciuilibus ser-
monem instituens, à proposito nimium fortè digressus
videbor. At quoniam presentis negocij materia, tum
etiam calamitas, quæ perditorum hominum technis
religionem cath. inuasit, ad hanc digressionem quo-
dammodò mihi præbuere ansam, secutus sum vsque
eò quòd me ratio & in remp. affectio duxerunt.

Cum itaq; constet etiam Ethnicos Deorum suo-
rum, qui tamen dii nequaquam, sed daemonia fuerūt,
religionem à temeratoribus integram fore summopere
studuisse: sentientes id quod res est, salua religione,
remp. quoq; saluam iri. Auth. De monach. & ascetr.
§. si in puris. coll. 10. Quod quàm sit verum, Germa-
nia nostra iam dudum, Gallia verò regnum olim, &
non adeò pridem, florentissimum, miserabili calami-
tate

tate ac penè excidio suo didicerunt. Nec aliter fieri potest, cum Dei Opt. Max. religionem contemnentes, iram eius nulla alia re amplius prouocamus: quo scelere non tantum sacrilegi illi Apostata à Deo puniuntur, sed mali huius infortunium etiam in innocuos, atq. aded in totam rempubl. redundat. Id quoq. DD. Imperatores Arcadius & Honorius tempestate sua in Arrianorum atque Manicheorum vastatione experti sunt: Verissimè in sanctionibus suis, in omnium Christianorū ferri iniuriam dicebant, quicquid in religionem diuinam committeretur. l. Manicheos. C. de hæret. & Manich. Qua de causa nihil nobis negligendum est, nihilq. magis in votis habendum, quam quod nostra hæc salutaris & antiquata religio à diaboli & hereticorum imposturis quanto magis vindicetur. Idq. tanto maiori conatu studendum est, quanto maior Dei nostri, totius mundi architecti potentia & religio est, quam Gentilium illorum inania simulacra & vana superstitio: nam summa est ratio quæ pro religione facit. l. sunt personæ. ff. De religios. & sumpt. fun. totiusq. reip. Christiana interest, religionem Christianam manere incorruptam.

Summa iniuria, quæ fit in religionem.

Religionis & fidei affinitas.

Rom. 13.

Promdè cum religione fides Catholica vsq. aded est connexa, vt alterum sine altero consistere neutiquam possit. Neq. enim religio catholica est, quæ non habet fidem in Christo & Ecclesia: vbi autem fides est, ibi necessario sequitur religio: nam religionis principium Fides est, & omne quod ex fide non est, peccatum est, nihilq. boni potest edificari, vbi fidei deest fundamentum glo. sup. rub. C. de sum. Trin. & ff. cath. tanta est religionis & fidei necessitudo. Ceterum

terium quod ad religionis Etymon attinet, partim supra dictum est, et isthac dictione antiquitatem significantisimè usum esse Budæus indicat, et etiam obstringere religionem, esse huiusmodi scrupulum eximere. Aliàs apud antiquiores Iurisconsultos religio dicebatur veneratio, fides, recta conscientia, metus: inde Gaius Iuriscons. maximum remedium, inquit, expediendarum litium in usum venit iurifurandi religio. l. 1. ff. de iureiuran. Fidei autem vocabulum varie sumitur: aliàs enim significat constantiam promissorum, auctoritatem dictorum, conuentoriumue constantiam et veritatem: sic appellata, Cicerone teste, quia fiat id quod dictum est. Fundamentum iustitiæ, inquit, est fides, id est, dictorum conuentoriumue constantia et veritas. Ex hoc fundamento Imperator ait; nihil ita congruere fidei humane, quam ea, quæ placuerunt, custodiri. l. minorem. C. de transact. Aliàs pro sponsione vel promissione accipitur, hinc Ulpian. Iuriscons. graue esse fidem fallere dicit. l. 1. ff. de constit. pec. et Canon: in malis promissis rescinde fidem ait. c. in malis. 2. q. 4. Sic porro plures aliàs (quas hîc breuitatis causa omittimus) secum affert significationes, vt in l. sacris. C. de prox. sacror. serm. lib. 12. et l. 2. ff. de testib. et l. si hoc lege. ff. De iniur. voc. et ff. pro soc. l. 3. et l. 3. cum glo. C. de pen. et comm. rei vend.

Quemadmodum autem Fidei dictio apud Iurisconsultos nequaquam simplex: ita quoque in diuinis scripturis multiuga et varia est. Videlicet nonnunquam pro ipsa conscientia intus diiudicante quid verum falsumue sit in his quæ aguntur, quid simularum

Religionis significatio.

Fidei varia significatio.

Cic. lib. 1. off.

Fidei significatio in sacris literis varia.

Roma. 14. &
glo. sup. rub.
C. de sum.
Trin. & fid.
Cath.

Fides quid.

Fides Catho-
lica.

latum fucatumq; sit, quid syncerum ac simplex. Quo sensu Paulus; Quicquid inquit, ex fide non est, peccatum est: ex fide idem quod ex veritate & synceritate conscientiae intelligens. Pro constantia in praestando item accipitur, iuxta etymologiam vocabuli, ut apud eundem Paulum. Quid enim si quidam eorum, inquit, non crediderunt, nunquid infidelitas eorum fidem Dei euacuauit? hoc est: si non steterunt illi in his, quae Deo promiserant, num itidem suis promissis non stabit Deus? Verum vsitatori scripturae & Ecclesiasticis scriptoribus totius catholicae Ecclesiae more, secundum quam Christi fideles dicimur, Fides is animi habitus est, quo certo & absque ulla habitatione assentimur ijs, quae à Deo salutis nostrae causa Ecclesiae suae reuelata sunt seu scripto illa, seu viuo vocis oraculo, viuaque traditione aut Christi, aut Apostolorum, eadem acceperit, & velut per manus à Patribus in filios magno ad nos conseruata perduxit. Cui & de scriptis, & non scriptis (contra nostri seculi quorundam insaniam) ea in re perinde credimus. Hanc fidem orthodoxi Patres appellant catholicam, estque omni Christiano prorsus necessaria, qui modò usum rationis adeptus est. Ad hanc variae illae differentiae pertinent, quae in scripturis occurrunt: secundum quas quaedam infirma, quaedam mortua, quaedam viua, quaedam informis dicitur, de qua idem Apostolus scribit: si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. De viua porro toto vndecimo capite scribit ad Hebraeos, eamque sic definiit: quòd sit rerum sperandarum substantia, argumentum

mentum non apparentium. Quam definitionem repetit glo. sup. ver. fide in rub. C. De sum. Trin. & fid. cathol. Quod verò M. Tullius ponit in fide politica, eam scilicet, iustitiæ fundamentum esse: id forè non minus incongrue ad nostram quoque, qua credulitatem in Christum præstamus, quadrabit, licet alia ratione.

Collatio fidei spiritualis & politica.

Nam vt modò ex Apostoli dicto accepimus, fides est frustranea, quæ cum iustitia (siue charitate, ex qua nascuntur non solum iustitia, sed & omnes alie virtutes, quæ alias plerumq; bona opera dici solent) coniuncta non est. Rectè autem quis hinc iustitiam charitatem nominauerit: Nam & hoc D. Augustinus inuit: Vbi sanafides, inquit, non est, non potest esse iustitia, quia iustus ex fide viuit, neque schismatici sibi aliquid ex ista mercede promittant: quia similiter vbi charitas non est, non potest esse iustitia. Dilectio enim proximi, malum non operatur, quam si heretici haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia catholica, c. Vbi sana. 24.

Charitas virtutum mater.

q. 1. Quemadmodum enim charitas, teste eodem Apostolo, patiens, benigna, non ambitiosa est, non perperam agit, priuatum publico bono non præponit, malum non cogitat, iniquitate non delectatur, & alia quæ illic in Epistola ad Corinth enumerantur: sic iustitia præcipit honestè viuere, neminem ledere, ius suum viciniq; tribuere, & iuris præcepta. Inst. de iust. & iur. & l. iustitia. ff. eod. tit. Quibus de præceptis alibi grauiter disputat Cicero. Est autem hæc, vt Iustinianus noster affirmat, omnibus perfectissima virtus arbitranda

1. Corint. 13.

Iustitiæ præcepta.

Iustitia perfectissima virtus.

arbitranda hominibus, quæ iura omnibus distribuit iustitia. Etenim vnamquamque aliarum virtutum, nisi subsequatur eius bona, nihil fiet eorum, quæ competunt. Auth. Ut omn. obed. iudic. prouin. &c. in prim. sic etiam Accursius ait Iustitiam (charitatem nempe) maximam esse inter cæteras virtutes, in glo. sup. ver. iustitia. Auth. De referend. sacri palat. Idque consentaneum est doctrinæ Pauli, dicentis: nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas. Ex his paucis (vt cætera plurima quæ ex diuinis literis in hanc sententiam adduci possent, omittam) facillè colligi potest, fidem

Fides sine operibus vana.

Opera sine fide nulla.

Rom. 10.

Tit. 3.
1. Paralip. lib.
2. cap. 16.

Reg. 1. ca. 26.

sine charitate, sine iustitia, hoc est, sine bonis operibus vel vt quisq; nominare hæc maluerit, esse otiosam & vanam. Perinde vt è regione iustitia sine fundamento suo (quod fides est) corruit, & exigui momenti: sed potius Apostolo teste, inutilis coram Deo est: quod fundamentum vbi desit, nil rectè fit. d. glo. sup. rub. C. de sum. Trin. & fid. cath. Vbi autem fides & charitas seu iustitia cum spe coniunguntur, opus fit planè absolutum & perfectum, vnoq; ac solo fidei vinculo fortius. l. re conuincti ff. de leg. 3. & Auth. cessante. C. de suis et legit. hered. hæc enim simul iuncta profunt, quæ singula non sufficerent. l. spadonem. §. qui iura ff. de excus. tut. Ideo nos seriò monet idem Paulus: curent, inquit, bonis operibus præesse, qui credunt Deo. Et alibi dicit scriptura: Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum: & iterum: Dominus retribuet vnicuiq; secundùm iustitiam suam & fidem.

Quæ

Quæ cum sint certissima, soleq; meridiano clario-
ra, reliquum est, homo cordatus studeat Christum
Deum & saluatorem suum integrum, non dimidia-
tum, sed in fide perfecta, dictorum factorumque con-
stantia & veritate colere. Neque recentiorum ho-
minum quisquam moretur impietatem, & stultam
ignauiam, ignauamque stultitiam, qui solam sibi &
nudam quandam affingunt fidem, qua sibi persua-
dēt in vtramvis aurem suauiter dormientes illico in
caelum euolare posse, quod illis perinde, vt boui soricis
antrum patebit.

Ex vniuersa scriptura intelligimus Deum perfe-
ctum exigere cultum, non mutilatum, non fidem sine
operibus, non opera sine fide, perfectionem amat, quæ
constat ex omnibus suis partibus. l. 1. ff. de orig. iur.
Nihil enim actum esse creditur, dum aliquid adden-
dum superest. l. cum Silianum in fi. C. de his qui-
bus vt indign. leg. aus. Huiusmodi siquidē ignauia,
ne dicam peruersitas, ipsis quoq; exosa sunt Ethnicis,
qui in ea (& recte, si ad verum Dei cultū respicias)
opinionē fuerunt, neq; Deum exaudire desides. Non
enim votis (inquit Salustius) neque supplicationibus
muliebribus auxilia Deorum parantur, sed vigilan-
do, agendo, benè consulendo prosperè cedunt omnia.
Vbi socordia te atq; ignauia tradideris, nequicquam
Deos implores, irati enim insensiq; sunt. Sed vsque
adeo perditè sibi blandiuntur nunc Christiani quidā
Ethnicis deteriores, cum neglecto quouis opere pieta-
tis, sed plerumq; crapulādo, dormiēdo, & nullis alijs
sacris quā veneris, Cereris & Bacchi operando, &
auitam pietatem præse contemendo, æternam salu-
tem in præmium suæ libidinis & negligentie sola fi-

B de se

Fides debet
esse perfecta.

Ignauia etiā
Dijs exosa.

Fides cath., re-
tinenda.

Interruptio
veteris felici-
tatis.

Ex haeretica
impietate aë-
ris temperies
corrumpitur.

Vera doctrina
quæ sit.

de se consequi opinantur, abundè satis fore censes, si saltem politicam qualemcumq; præferant honestatem, ne fidè quam Deo non præstant, etiam apud homines perdant, et inde facultatum suarum dispendiũ fortè patiantur. Quarè illis relinquamus sua somnia: nos eam potius retinebimus fidem, quæ iam inde à Christo Apostolorumq; temporibus continua serie nobis, quasi per manus tradita est, cuius professio per omnia Christiani orbis loca atq; tempora (vnde quoq; Ecclesia dicitur catholica & vniuersalis) ad consummationè vsq; seculi, inuitis omnibus hæreticis, inferorum portis, durat, durabitq;. In hac ipsa Maiores nostri laudatissimi consensu vnanimi optataq; felicitate conuixerunt, adeò vt si quis eã à seniorib; qui superiorum temporum adhuc recordantur statum, prædicare audierit, non secus iudicet, quàm aureũ tunc floruisse seculum, tantisper donec libidine ardens apostata quidam, insolentia et ambitione plenus, eã prosperitatem suã impietate, qua orbẽ criminib; repleuit, interrupit, iramq; vindicis Dei sup populũ Christianũ pronocauit. Vnde enim (vt cũ Theodosio Imperatore conqueramur) per tot annorũ curriculum ver solitam gratiã abiurauit? Vnde æstas ieiuna laboriosum agricolã in spe destituit aristarũ? Vnde hyemis intemperata ferocitas obertatè terrarũ penetrabili frigore sterilitatis læsione damnauit? Nisi quod ad hæreticæ impietatis ac pfidie vindictã transit lege sua naturæ decretũ. l. Nouell. Tit. De Iud. Samarit. et hæret. s. an diutius. Quoniam itaque vera doctrina, non falsa, non ficta, non simulata, affectanda est, vt etiam Iuriscon. suadet in l. r. ff. de iust. & iur. ea autem est, quæ per filium Dei nobis diuinitus tradita, per Apostolos eius

eius predicata, per que sanctos Patres tam in Ori-
 entis quam occidentis solis Imperio propagata est, &
 ad nostram aetatem usque pulchro sane ordine de-
 currit ideoque omnibus Christi sub nomine ac signis
 militantibus maximè appetenda. Quoslibet enim is
 ad se vocat, Græcos, Hebræos, Latinos, masculos atq;
 fœminas, nulla sexus habita ratione. Quodq; ad Dre-
 cultū attinet, non est Hebræus vel Græcus, non ma-
 sculus neq; fœmina, neque liber neq; seruus: omnes in
 Christo unam mercedem accipimus. §. hinc autem,
 Auth. de monach. coll. 1. Horum quisquis regenera-
 tionis lauacro purgatus, contempta illa, qua externo
 tantum Euangelij prætextu palliata est doctrina, or-
 thodoxam fuerit amplexus fidem & religionem, du-
 bium nō est, quin is verè Ecclesie que Christi sponsa
 est, filius sit: ea namq; propriè mater est fidei & reli-
 gionis, glo. in rub. C. de sacros. Eccles. In hac Ecclesia
 Christiani maximis & inestimabilibus quidem gau-
 dent beneficijs, vera scilicet scriptura, vero baptismo,
 vero altaris sacramento, veris clauibus ad remissio-
 nem peccatorum, vero prædicandi officio, vero cate-
 chismo: breuiter in isthac Ecclesia catholica, seu, ut
 heretici eam vocare malunt, Papistica, habetur om-
 ne bonum Christianum, imò verus nucleus Christia-
 nitatis, vel ipso Luthero teste, qui veritatis vi ada-
 ctus, isthac ad Anabaptistas & Sacramentarios
 scribens, vltro confessus est. Quod malus hic loci ex
 ipsius scriptis quam catholico Authore recensere, vt
 liquidò appareat eundem propria confessione conui-
 ctum & iudicatum per l. vn. C. de confess. & c. cum
 supra, extra, eodem tit. Quamuis autem confessione
 semel facta resiliere amplius non liceat. l. si ille. cum
 B 2 glo.

Ecclesie Ca-
 tholica bona
 ex Lutheri te-
 stimonio.

Lutherus sibi
ipsi cōtrarius.

Matth. 5. &
Iacob. 6.

Lutheri scri-
pta iure re-
probati.

1. Cor. 13.

glo. C. de decur. lib. 10. tamen apostata ille aliam sen-
tentiam postea quam unā cum religione pudorem
abiecerat, arripuit, cui scilicet nihil familiarius fuit,
quā ex uno eodemq; ore calidum & frigidum fla-
re, nihilque aliud quam antilogias euomere, quibus
Chameleontis istius peruersa scripta scatent, immem-
or illius constantiæ & rectitudinis, quam Christus
in Euangelio exigit: sit sermo vester est est, non non
(inquit) quod enim amplius est, à malo est, scilicet à
malitia hominum inuentum, vt glo. post Euangeli-
stam dicit in §. sed neq. Auth. De mandat. prin. coll.
3. Sed cum non ignoremus, vel ex legum ciuiliū
ratione, scriptis vel dictis repugnantibus sibi, ab eadē
parte productis, nihil fidei adhiberi, dict ante id impe-
ratore his verbis: scripturæ diuersæ, fidem sibi inui-
cem derogantes, ab vna eademq; parte prolata, nihil
firmitatis habere poterunt, in l. scripturæ. C. de fid.
instrum. cui assentit c. imputari extra eod. & c. ex
tenore. De rescript. Relicto itaq; idolo illo versipelli
suis cultoribus, nos ad Ecclesiæ mentionem redea-
mus, in qua cum diuina nobis parata sint munera, ex-
tra eam verò nulla salus inueniatur, etiamsi quis fi-
dem haberet, qua montes transferret, vel omnes suas
facultates in alimoniam pauperum erogaret, corpū
suum traderet vt arderet: hoc magis, inquam,
nobis enitendum est Diuinam exorare clementiam,
vt ea nos custodiat, ne diaboli astu, vel nostra facili-
tate seducti, isthac pia nostra matre relicta, ad nouer-
cam illam vanæ libertatis colore delibutam, id est,
ad hereticorum conciliabula & Synagogas deficia-
mus: sed omne nostrum studium in hoc positum sit, vt
de ea tanquam grati filij optimè mereamur. Nam &
lege

lege pub. monente, ad omnia ea quæ pro honore sanctæ Ecclesiæ catholicæ fiunt, properare, eaq; ipso opere adimplere debemus. l. Deo nobis. C. de Episc. & cle. Nihil verò morandum est, quicquid de Ecclesiâ blaterent aduersarij, & quam modò in hunc, mox in alium angulum cogere, vel passim dispergere; iam visibilem, post inuisibilem, nunc continuam, deinde interruptam ostendere studeant: & quibus modis circa eius definitionem ridiculè ludant, perlongum esset recensere: nos pium lectorem ad eos remissum esse volumus, qui nostro tempore contra insaniam illorum hominum prolixè scripserunt, eorumq; errores & figmenta vi sacra scriptura & Apostolicæ traditionis auctoritate refutando prostrauerunt: nobis omninò perpetuus consensus Ecclesiæ potior sit, quàm apostatarum cæterorumque hæreticorum vertigo. Cum enim Ecclesiâ sit vniuersalis, quæ vniuersalitas non astringitur certo loco vel tempori, eam promodè Christus visibilem esse voluit, quandoquidem iubet obstrepentem & recalcitrantem fratrem apud Ecclesiâ accusare, quòd si nec illam audierit, eum haberi oportere perindè vt Ethnicum & publicanū. Quemadmodum enim apud Ecclesiâ aliquem producas, vel accuses, vel in ius voces inuisibilem & incognitam, vt Evangeliculi putant? Ei autè Ecclesiæ promisit Christus spiritum veritatis cum ea mansurum in æuum. Quod si verum est, vt nemini Christiano dubium esse debet, quin quod ipsa veritas pollicita est, præstitura sit: quo impudenti ac blasphemio illi ore dicere audent, Ecclesiâ catholicam errasse, impia docuisse, atque Euangelium Dei subter scannum, ubi puluere ac situ obductum, per aliquot cen-

Varium hereticorū de Ecclesiâ iudiciū.

Ecclesiâ vniuersalis.

Matth. 18.

Ecclesiâ visibilis.

Hæreticorum blasphemia.

Heretici Christi
stium mendacij
arguunt.

Num. 23.

Matth. 20.

tena annorum sepultum iacuerit, abiectum? Quara-
tione illi calumniā in Christū, quem aperte mendacij
arguere videntur, effugient? Si enim Ecclesia tam
fœdè lapsa est, vbi interim delituit Spiritus sanctus?
Numquam quod promisit Christus non prastitit? Vel
prastitit quidem, sed e ratione & conditione, vt re-
līta Ecclesia eundem nonnunquam auocatum ad
hereticorū conuenticula seu conciliabula ablegaret?
vel aternitatem pollicitam certo temporis spatio cir-
cumscripsit? Id verò quā Ecclesie atq; adeò Chri-
sto ipsi vanissimè impingant, manifestius est, quā
quod longiore declaratione opus habeat. Non enim
Deus est quasi homo, vt mentiatur, nec vti filius ho-
minis, vt mutetur. Meritò itaq; ob oculos nobis sta-
tuendus est Christus, qui hanc suam Ecclesiam adeò
dilexit, vt seipsum traderet pro ea, vt eam sanctifica-
ret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhi-
beret eam sibi gloriosam, non habentem maculam aut
rugam. Hanc sacratissimam Ecclesiam Christus ali-
cubi vocat *Vineam suam*, vbi parabolam recenset de
patrefamiliâ, qui exiit summo mane vsq; ad vespe-
ram, conductum operarios in vineam suam, in qua,
non quidem ociosis credentibus, sed operantibus æqua
merces penditur, iuxta versiculos illos *Accursianos*.

Vinea culta fuit cultores præmia quærunt:

Non labor æqualis, æqualia dona fuerunt.

Sic Deus ostendit, quòd quādo cūq; venimus,

Arripiamus iter, certi de munere simus.

*Tantum enim eodem Accursio, post alios refe-
rente, habebit is de paradyso, qui decedit in hoc vlti-
mo seculo, si rectè operetur in hac vinea, quantum il-
le, qui decepsit in primo. glo. in §. 1. Inst. de iust. et
iur.*

iur. Nec ideo quisquam, quod temporis inaequalitas aqua mercede compensetur, iure conqueri poterit: quia paterfamilias, tanquam rei suae moderator potest in ea legem pro arbitrio suo statuere. l. re mandata. C. manda. Qua in parabola, cum clare nobis significetur patrem familias coelestis oeconomia exire usque ad vesperam, id est, ad mundi finem, conductum operarios in vineam, Ecclesiam: perabsurda videtur settariorum calumina, qua sine fronte affirmant Ecclesiam per aliquot annorum saecula errorum tenebris involutam, & iam inde neminem conductum fuisse, nisi desertorem quendam monachum Lutherum, cuius opera Euangelium ex longaevis tenebris, squa-lore, situ ac pulvere obductum, iamque cum tineis & blattis quasi rixam habens, fuisse erutum. Quid vero interim egit Paterfamilias, quod vineam suam tanta per temporum interualla desertam reliquit? Anne perinde ut bonus dormitavit Homerus? Vel fundum suum pro derelicto habuit, ut transacti longissimi temporis praescriptione eum, etiam invito Domino, nouus Emphyteuta Lutherus occupauerit? Fortè quia somnolentum atque desidem spiritum paracletum arbitratus est, non ignorans contra negligentes inductam esse praescriptionem, iux. l. pen. & glo. in l. Et Attilicinus. ff. de seruit. rust. praed. At cum hoc vel cogitare absurdum sit: & quoniam apostaticum illum aprum in pradium Domini violenter irrupisse, & alicubi etiam clam per fraudem se insinuasse constat: neque titulum neque bonam fidem allegare potest, exceptione doli merito repellendus est, nullaq; ei competere potest temporis praescriptio. l. diutina. C. de long. temp. praescr. & c.

B 4

G

Lutherus an
longi tempo-
ris praescripti-
one sibi vera
religionem vin-
dicare queat.

Lutherus nihil iuris habet in Ecclesia cath.

et glo. in ver. compellat. in l. hæreditatis. C. de petit. hered. Et quoniam quidem in sacrarum literarum intellectu et interpretatione fædè lapsus esse eundem, non solum catholici, verum etiam hæreticorum nonnulli deprehenderunt, in Ecclesiam Dei nihil iuris præsumere potest, cuius error nequaquam præscriptionem admittit. l. si is contra. C. de præscript. long. temp. dec. vel vig. ann. Nec verò quisquam improbum Christum, in promissionibus suis infidelem, aut de sponsa sua omnem curam deposuisse, sine maxima temeritate ac blasphemia dixerit. Nihil itaque eidem imputandum, quandoquidem vigilanti non currit præscriptio. l. contra maioris. C. de ineff. test. et industria pœnas desidia solvere non debet. l. si in fi. C. de pos. In quibus enim latebris dormiunt, vel occultant se Spiritus sanctus, ut ab Ecclesia, cui ad consummationem vsq. seculi, ab eo qui ipsa veritas est, et fallere nescit, promissus est? Sed dicent fortasse, novam quãdam Christo plantasse Ecclesiam Lutherum, atq. hoc modo duarum sponzarum sponsum effecisse Christum. Siccine vobis bigamus fuerit Christus, o belli homunculi? Vel binas ei sponzas concedetis contra l. eum qui. C. ad leg. Jul. de adult.? Perinde ut superioribus annis Principibus viris similis patrandi facinoris potestatem fecistis. Siccine ergo Christum cum infamia criminis adulterij reum facietis? Dubitandum sanè est, vtrum hominum istorum ridenda magis sit insana audacia, an deploranda miseria. Quoniam cum semel à vera Ecclesia digressi sunt, in mille errores inciderunt, in quibus animis et sensibus ita distracti sunt, ut tanquam cæci forinsecus palpitent, nusquam tamen Ecclesiam semel amissam reperire

pire queant. Adscribit sibi Ecclesiam Lutherus, at confidentius eam sibi arrogat Calvinus, quorum stultitiam irridet stultior ipse Swenckfeldius: his autem contemptis omnibus solam esse suam vesani gloriantur Anabaptista: molles verò rigidiq̄ue Lutherani eam partiri & communi diuidendo agere volunt. Sic furij illis inter se perpetuum est bellum, in tenebris Andabatarum more dimicantium, qui odiosè altercando religionē ceu per crimes hinc inde tractant, ut nullā vel suæ Ecclesiæ, vel confessionis certitudinē relinquunt. At sic fieri necessum est: nam hoc idem Lutherus, pater hæreseon, iam pridem instar Caiphæ vaticinatus est sic enim regnum Christo teste, in se ipso diuisum desolatur: neq̄ enim vlli vnquam hæretici victi sunt vi & astu, sed mutua dissensione, nec aliter cum eis pugnat Christus, quàm mixto inter eos spiritu vertiginis & dissensionis, sicut & inter Sichimitas, inter Babylonicæ turris operarios, & in nouo testamento inter Arrianos, Donatistas, Pelagianos. Sed & Iudæi nouissima vastitate perierunt dissensione: ita & Hilarius sanctus vir gloriatur in lib. de Trinitate, bellum hæreticorum esse pacem Ecclesiæ, ad dissensionem eorum sequitur & corporalis eorum dispersio. Hæc Lutherus.

Et hætenus de Ecclesia vniuersali: sed quid illi sentiant de Ecclesijs, quæ in specie ad cultus diuini exercitium, verbiq̄ prædicationem constitutæ sunt, id vel Iudæus, vel quilibet alius à fide Christiana alienus deprehendere potest, qui in eorum fortè speluncas intrauerit (sic enim & Christus ipse eas vocat. & Iustinianus Imperator) vbi neq̄ crux, neque lux, ut dici solet, neque Deus conspicitur: sed circis

B 5 atq̄

Varia hæreticorum cōtentio de Ecclesia.

Iudic. 9.

Luc. 19. Auth. de Ecclesijs. §. iubemus.

Hereticorum
templa qua-
lia.

L. 20. C. de
haeret. & Ma-
nich.

Heretici quo-
modo templa
Catholica ex-
ornent.

Vandalorum
Barbaries.

Niceph. lib.
17. cap. 11.

atq; Theatris (in quibus ludos, scenas, Bacchanalia, lupercalia, bestiarum pugnas, ceteraque huiusmodi, veterum Romanorum more spectacula contueri aptior locus esset) quam Ecclesijs similiores sunt. Tametsi & eas quoque passim Ecclesias, perinde ut heretici veteres consueverunt, impudentissimè, ut Iustinianus loquitur, nominare audent. In quibusdam autem locis Domos perditionis (praedicationis dicere volebam) rectius appellant. Ceterum ubi catholicorum loca Harpie ista inuolarunt, in eam formam Machometico quodam spiritu plerasque Ecclesias redegerunt, ut ne vestigium quidem Christianae religionis illic inuenias: adeo, ut easdem hodie magis luporum specus ferarumque spelea, quam ouilia Christianorum dicere queas. Nonnullas verò bestiis, iumentis & pecoribus stabulandis consecrauerunt, imitantes Barbaricam illam gentem Vandalorum, Arriana haeresi infectam, de quorum immanitate idem Iustinianus conqueritur his verbis: Vandali, qui Aphricam sub suo Barbarico iugo dum tenuerunt, ipsas quoque Dei sacrosanctas Ecclesias suis perfidijs maculabant, aliquas verò ex eis stabula fecerunt. l. 1. C. de off. prat. Afr. Hoc idem testatur Nicephorus: Die primo, inquit, Vandali in Christianorum templis manserunt, & inductis in ea equis & iumentis alijs, nihil de iniuria contumeliaque aliqua reliqui quicquam fecere. Hisce Barbaris nostri temporis heretici ad amussim comparari possunt, vnde facile religionem eorum aestimare licet, iuxta illud: qualis Ecclesia, talis sacerdos, & qualis sacerdos, talis populus. Id verò quam doctrinae Euangelij congruum sit, ipsi viderint: catholici verò Christi & doctrinam & exemplum,

exemplum, quàm Barbarorum illorum corruptissimos, sacrilegos & ab omni pietate humanitateq; alienos mores sequi semper maluerunt.

Verùm enimverò quoniam plurimi Catholicam Ecclesiam ob hoc etiam exosam habent & aspernantur, quòd Romana vocetur, quam vnà cum suo pastore extinctam cuperent, restat quòd aliquid de eo quoq; attingamus.

Quemadmodum autem pulcherrimus ille ordo veteris Ecclesiae, eiusque continui successus in omnibus ecclesiasticis rebus grauisimum testimonium in se habet, quòd ille ipse à Deo, omnis ordinis, totiusq; generis humani, ceterarumq; animantium authore regitur, atq; gubernatur: sic haereticorum peruersitas & malitia qui hunc ordinem semper acerrimis odijs atq; inimicijs persecuti sunt, eumq; inuersum planè cupiuerunt, euidentissimum signum atq; testimonium est, quo spiritu illi agantur: eo scilicet, qui iam inde ab initio Deo eiusq; ordinationi infestus & aduersarius fuit, eamq; pro virili inturbare & pervertere studuit. Itaq; inter ceteras Christianae Ecclesiae ordinationes, quas è medio tollere haereticis animus est, haud minimum est regimen Ecclesiasticum, præcipuè verò illud à solo Christo institutum, vt videlicet D. Petrus Apostolus, eiusq; successores Christi locum in terris obtinerent, atque huiusmodi Ecclesiae militantis praesides & caput ipsum existerent. In quo quidem omnis doli & fraudis architectus ille diabolus id potissimum voluit, quòd si hunc ordinem & successionem (quæ caput quidem atque fons ceterarum ordinationum est) ab Ecclesia remoueret, facilius etiam reliqua huic connexa, auferri ac deleri posse.

De Ecclesia Romana.

Haereticorum odium in ordinem Ecclesiasticum.

Christi Vicarij & successores.

Causa cessante cessat effectus.

Fortior prohibitio in causa quam in cau-
lato.

Euangelicorum
ordo inuertus

Contentio Lu-
theranorum
prædicantiū
de primatu.

posse, nihil dubitans, quin deficiente causa, quæ neces-
saria est ad effectum producendum, deficere ipsum
effectum, iux. l. i. C. De condit. ob caus. dat. Quare
in hoc negotio omnem mouit lapidem, nihilq; inten-
tatum reliquit, eò quòd longè maiorem requirat la-
borem principium cuiusq; rei tollere, quàm eo sublato
id quod inde natum est, & vtrò deinceps perit: quia
potentior est prohibitio in causa, quàm in eo quod ex
causa enascitur. Auth. Multo magis. C. de sacros. ec-
cles. Neq; eum fefellit opinio: nam conatus iste apud
multos illi veteratori cessit ex sententia. Quibuscum-
que enim per suos Apostolos, seu Prædicantes per-
suasit, vt hunc ordinem contemnerent, hi facillimè de-
inceps adducti sunt, vt cæteris quibuslibet ritibus &
constitutionibus nuncium remitterent, parum inter-
esse putantes inter rectum & peruersum ordinem,
contra §. quæ verò illos. Auth. De prælat. Thrac. coll.
10. Vnde sursum deorsum apud eos versa sunt om-
nia: nec aliter fieri potuit: vbi enim non est ordo, ibi
succedit confusio. §. inordinatum. vbi glo. in Auth.
De hæred. & Falc. Quæ confusio durauit tantisper
donec dæmon ipse sibi tãtis rerū labyrinthis diffidere
cœpit. Quare coactus per organa sua, hæreticæ doctri-
næ buccinatores, nouam quãdam ordinationem (Ec-
clesiam instar simiæ inmitaturus) instituere, idq; factū
est, sed stultis atq; ridendis modis. Hinc iam totos pe-
nè quinquaginta annos inter illos durans, nata est
horrenda contentio atq; conflictus, quis eorum debeat
esse maior in regno diaboli: vel quis inter eos summi
hærestarchæ potestati super cæteros omnes hæreticos
& sectas obtinere debeat, vt conspirationi suæ quan-
dam formam inducerent, vnde simplices astimare
queant,

queant, instituti sui authorem & caput esse Christū. Hinc execrandis cōtentionum facibus inter se dimicant atq; rixati sunt Lutherus, Carolstadius, Mincerus, Zwinglius, Islebius, & nescio quæ alia mōstra, quorum quilibet primatum accipere nixus est. Ne autem illos cathedram apostolicam Luthero præripuisse Germania suspicaretur, hoc distichon plerisque libris suis, quos tum temporis adidit, præfigi curavit.

Christus habet primas, habeas tibi Paule secundas:
At loca post illos proxima Luther habet.

Cum Vitebergensibus concertarunt Osiander, Caluinus, Bullingerus, Brentius, Sarcerius, Swenckfeldus, Amsdorfus, Illyricus, Vigandus, Gallus, & huius fecis alij, nec dum bellum hoc compositum est. Hinc emerferunt tot Ecclesiarum, imò verius sectarum, diuersæ constitutiones, seu, ut ipsi eas vocitant, ordinationes: adeò ut protestantium singuli principatus, singula ciuitates, singula oppida, singulas sibi vendicent ordinationes, quas deinde singulis penè annis mutant, & subindè alias atq; alias comminutescences substituunt. Ex his ortæ sunt tot aliæ constitutiones de illorum consistorijs et examinationibus, quæ recensere nimis longum, & legentibus plus admirationis, quam nouorum monstrorum in Africa descriptio, afferret: vsq; adeò multas apud istos homines natura nouas edere formas deproperat. l. tanta. §. sed quia diuina. C. de vet. iur. eniā. Earum autē contentionem ne hodie quidem finis est, neq; reb. tū se habentibus vllus expectandus est. Tamei si non defuerint, qui arbitrentur catholicæ Ecclesie ordinem cum hæreticorum confusione conciliari posse: adeò, vt ex his diuersis & pugnantibus vna constituatur consarcine-

Hæreticorum
ordinationes
variæ & mu-
tabiles.

Euangelico-
rum rixæ.

Euāgelicorū
inanis conciliatio.

consarcineturq; ordinatio: hoc est, vt Christus vnā cum sua Ecclesia catholica nonnihil de iure suo cedat, idq; idem agat diabolus vnā cum Ecclesia malignantium. Quod tamen fieri nullo modo potest. Quomodo enim conueniant Christus & Belial? Diabolus enim concinnet & instruat suas ordinationes quibuscunq; phaleris vel formarum lenocinijs, easq; vestiāt vt velit panno Euāgelico, Christi tamen spiritus, qui in sola cath. Ecclesia semper est, testeq; verbo Dei, durabit, ad illorum insana vota nunquam quadrabit, neq; ab illo tenebrione minimum sedoceri patietur, scriptum est enim: non tentabis Dominum Deum tuum.

Schisma Germaniæ vnde exortum.

Hasce proinde rixas, diaboli astu excitatas, secutum est schisma, ita quod maxima Germaniæ pars ab Ecclesia Romana ad Ecclesiam malignantium, à sede Apostolica ad cathedram pestilentiae, ab vnicō Vicario Christi ad diuersos superintendentes, & Sæthana locum tenentes, à fonte veritatis catholice ad cloacam atq; sentinam errorum defecit. Et quod Lutherus olim contra Boëmorum deficientium perfidiā detestatus est, eius ipse post temerarius author extitit. Nam quid ille de consilio eiusmodi separationis senserit, ex his quæ sequuntur planè intelligendū est. Cū autem mentio fiat Romanæ Ecclesiæ nemo cogitet aliam intelligi, quàm vniuersalem, quæ aliàs dicitur catholica, & sub nomine Romanæ Urbis appellatur, vt potè quæ illic Spiritus sancti instinctu à D. Petro Apostolo fundata fuit, iuxta auctoritatē earū legum, quas infra suo ordine collocauimus, quibus etiam ad stipulatur glo. sup. ver. Apostolica. in Auth. Iusurand. quod præst. ab his & c. coll. 2. Nunc

Sententia Lutheri de separatione seu discessione à Rom. Ecclesia.

ad

ad Lutheri placita veniamus. Scribitur, cum olim in disputatione Lipsica inter disceptandum, ut suspectus argueretur, tanquam fautor & protector Bohemorum schismaticorum, quod illi à D. Eckio, Theologo excellentissimo fuerat obiectum: sed modestus ille Doctor Martinus vocem hanc interstrependo, euangelica mansuetudine si dijs placet, responderit: id mentitum esse. At demceps maturius replicando, id ipsum velut grauem contumeliam à se rejiciens, sic respondisse: Nunquam sibi placuisse, neq; in aeternum placiturum quodcunque schisma. Iniquè facere Bohemos quod se autoritate propria separarent à nostra vnitate, etiamsi ius diuinum pro illis staret, cum supremum ius diuinum sit Charitas & vnitatis spiritus. Deinde in alio loco: Hi sanè, inquit, hanc doctrinam, qui volunt sua onera portare, & solum commodis aliorum frui, vel vehi, ut qui indoctos, inutiles, iracundos, ineptos, difficiles, morosos, dedignantur habere socios vitæ: sed querunt humanos, suaues, benignos, quietos, & sanctos homines: Hoc est, volunt non in terra, sed in paradyso, non inter peccatores, sed inter angelos, nō in mundo, sed in caelo viuere. Quibus quoq; timendum est, ne hic recipiant mercedē suā, et in hac vita suū regnum caelorum possederint. Et post multa sic pergit: Consequens est quod Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia nulla possit excusatione defendi, quin sit impium et Christi omnibus legibus contrarium: quia contra charitatē, in qua omnes leges summatur, perstat. Nam hoc quod vnicè allegant, sese timore Dei & conscientiae defecisse, ne inter malos sacerdotes & Pōtificates viuerent: hoc eos maximè omnium accusat. Et rursus: hæc idèd commo-

moro,

Vide Io. Cochleum in lib. de actis & scriptis M. Lutheri, in anno 1519. Lutheri modestia.

Luth. in reso-
lut. sup. pro-
posit. 80.

moro, ait, ne Pighardi nostri vicini hæretici, infelix
populus, fœtore Romano gaudeant, sicuti Phariseus
super publicanum, non autem compatitur. Ne, inquã
illi nos crederent nescire vitia & labes nostras, &
immensum aduersus nostram miseriam superbi-
rent, si nos ista tacere & approbare videremur. Scimus,
heu, nostrum casum, & dolemus, non autem sicut hæ-
retici fugimus, & seminiuum transimus, tanquam
alienis peccatis pollui timeamus. Illi fugiunt à nobis
Christianis, & repunt ad seipos in angulum. O blas-
phematores Dei, & proditores Christi, si Christus fe-
cisset sicut vos facitis, quis vnquam saluatus esset?
Prætere a notatu dignum est id, quod ille alibi scribit
in declaratione quorundam articulorum, his verbis:
Quod Romanã Ecclesia sit à Deo præ alijs omnibus
honoratã, non est dubium, ibi enim sancti Petrus &
Paulus, Pontifices quadraginta sex Romani, ac tot
centena millia martyrum sanguinem suum fuderunt,
infernum & mundũ vicerunt, vt vel palpari queat,
quã singularem habeat ad eam Ecclesiam respectũ
Deus. Et in hanc sententiam plurima, & valde ac-
commodata ibi argumenta in defensionem & com-
mendationem Romanæ Ecclesiæ recenset Lutherus,
quibus planum facit quid de schismate senserit, qui
deinceps discessionis ab Ecclesia consilium est ample-
xus, pro qua non ita pridem aduersus hæreticos sen-
tentiam tulerat, quamq; veram Dei Ecclesiam ore
pleno confessus fuerat.

Dictant iura ciuilia non minorem esse probatio-
nem per propriam confessionem, quã per pub. instru-
mentum. l. cum transegisse. C. de transact. Lutherus
autem Ecclesiæ Ro. primũ accerrimus propugna-
tor

tor, postea verò infensissimus hostis, cum in disputatione Lapfca tum viua voce, tum scriptis in lucem aditis (vt partim recensuimus) tanquam pub. instrumento, sicque non simpliciter, sed quantum eius iure fieri potuit, Romanam veram Ecclesiam esse confessus atq; testatus est, & ab ea nemini Christianorum, quantumuis malis abundet hominibus esse desciscendum. Quod aded viuis declarauit argumentis, vt vix alius posset melius, quantumlibet Catholicus: idque nos ad eiusdem Ecclesiae studium & cultum eo fortius impellere debet, quo fortior est confessio ipsius aduersarij, quam simplicis cuiusdam testis: neq; priuato testimonio est opus, cum publica monumenta sufficiant. l. in donationibus. C. de donat. Non autem simpliciter hic confessus est Lutherus, sed viua voce atq; scriptis, quæ propter perseuerantiam plus valet, quam vnica & sola confessio, iux glo. fin. in l. si mulier. 2. C. ad Senatus c. Vell. Cuius etiam scriptura tantum valet ad probandû, quantum depositio multorum testium. l. in exercendis. C. de fid. instrum. & glo. in c. cum venisset. sup. ver. testimonia. extra de test. circ. princi.

Postremò (ne in persequenda illius hominis impudentia prolixius agamus) silentio prætereundum non est, quibus quantisq; beneficijs chariss. patria nostra Germania à Romana Ecclesia ornata & aucta est, & supremi sanè beneficij loco reponendum, quod inde Christi Iesu seruatoris nostri agnitio, & Euangelium ad nos peruenit, tum cum profundissimis idololatriæ tenebris sepulti essemus. Inde scriptores honorem fidei Christianæ Germanis à sede Apostolica

C
commu-

Beneficia Ro.
Ecclesiae in
Germaniam.

Germani communicata, Gregorio Papæ, huius nominis secun-
 do (qui ante octingentos annos præfuit Ro. Ecclesiæ)
 quando & à quo ad fidem Catholicam perducti sint. deferunt. Huius enim peculiaris laus est, quod eius
 opera Germani, Maiores nostri, idolis dæmonumq;
 cultui subtracti ad fidem Christianam sint conuersi.
 Referunt historiæ eundem Pontificem tanto amore
 Gregorij Papæ amor erga Germanos. amplexum esse Germanos. Baptismi causa Romanam
 venientes, quod suis manibus eos baptizaret. Quo be-
 neficio quid præstantius, quid ad salutem nostram ma-
 gis necessarium? An non Romana Ecclesiæ benefi-
 centia imperij monarchia à Græcis ad nostrates trans-
 lata est? Ita quod Iustinianum Imperatorem imi-
 tantes, eandem Ecclesiam Romani Imperij, & con-
 sequenter Germaniæ matrem vocare iure optimo
 Rom. Eccle- possimus ac debeamus. Auth. Vt determ. sit num.
 sia mater Ger- cler. & c. in præfat. Quæ cum ita se habeant, quæ fu-
 mania. ria nonnullos exagitant, quod tantorum beneficiorum
 immemores, piam hanc suam matrem per summam
 Germania in- ingratitudinē contemnunt, & ut in sani persequun-
 grata. tur? Et quæ illis arma contra corporis & animæ ho-
 stē tradidit, ea ne in matris suæ quæ ipsos Christo pe-
 perit, viscera stringet? Siccinè beneficium beneficio,
 vel non potius maleficio, compensatur? cùm leges
 prohibeant aliquem suo ex benefacto in periculū tra-
 hi. l. ne ex liberalitate ff. de re iud. Neq; perindè quis-
 quam eo petulanter abuti debet, quod ei in subsidium
 iure concessum est. l. si quam. C. de operibus libert. &
 in reb. vulgaribus naturalis ratio dictat, ut benefa-
 cienti beneficiamus, iuxta glo. in l. 2. C. de in ius voc.
 Hæc est enim natura mentis humanæ, ait optimus
 Imp. Theodosius, ut quod admittit ex cōmodo, id cō-
 penset

penset in gratia, et animum praesita largitas interiore quodam vinculo charitatis obstringat. Nouell, Theodosij & Valentin. De trig. ann. praescript. Germania vero ob accepta maxima beneficia, non inducet animum rursus benefacere, aut propter exhibitam in se largitatem, non se patietur ad gratitudinē obstringi? Vae nobis si ita perrexerimus: vehementer enim timendū, ne Dei ira in nos concitata, reliquias etiam, quae nobis ad haec vsq; postrema tempora conseruatae sunt, ob ingratitudeis poenam amissuri simus, & id quod videmur habere, etiam auferaturā Matth. 25.

nobis: nam ab eo, a quo constat fortunarum suarum partem maximam recessisse, reliquam quoq; portionem quae apud eum resederit, transferri ad idoneum oportebit, vt Constantinus Imp. ait in l. 2. C. de debit. ciuit. lib. 11. Quamobrem mature nobis sapiendum foret, ne inconsultae pertinaciae sero poeniteat, momento l. vn. C. de conductor. lib. 11. inutilis enim est poenitentia post factum, quando scilicet poenitentiae nullus amplius restat locus. l. qui ea mente. ff. de furt.

Isthaec de religione fide & Ecclesia, quae nimirum in sequentibus Imp. Rom. legibus potissimum tractantur, praefata esse sufficiat. Possent autem haec ipsae leges (si vel omnium Patrum pia dogmata, haereticorum perfidia, quod strenue laborant, plane sublata essent) nobis satis Theologiae esse, vnde discere queamus, in vnitae Ecclesiae catholicae Romanae nobis in fracto animo permanendum esse. Nam qualescunq; sumus, quamdiu tamen Catholici sumus, & hanc Rom. (quantumcunq; haereticis exosam) Ecclesiam non auersabimur, parata nobis semper est in ea peccatorum

catorum remissio, simul atq; delicti ex animo nos pœnituit, quæ scilicet redeuntibus gremium nunquam claudit. l. liquet. C. de sacro. Eccl. Sed in hæresi pessimè viuunt etiam ij, qui videntur benè viuere: nec enim quisquam desertorum persuadeat sibi delictorū veniam impetrare posse, nisi ad Ecclesiam redeat, vnde malè seductus exiuit. Quisquis enim ab Ecclesia Catholica fuerit separatus, teste D. Augustino, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi corpore disunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super ipsum. Nec verò nos moueat quorundam vel Anstutum vel sacerdotum criminosa vita: quisq; enim improbitatis suæ feret pœnam: sed nec exemplis prauorum clericorum, sed legibus atq; doctrina iudicanda est vera Ecclesia, iuxta illud quod dicitur in l. nemo. C. de sent. & interloc. om. iudic. neq; praua hominū exempla sunt sequenda. l. i. in prin. ff. ad Senat. Maced. Quod si vilius exemplum nobis sequendum proponimus, imitemur Christum, qui inter hypocritas, Pharisæos & scribas inq; medio peccatorum conuersari non dedignatus est. Si autem Christus magister atq; præceptor noster est. eius exemplum sequi nos merito conuenit l. an apud te. ff. de manumiss. vnd. si princeps, itidem. l. & hoc Tyberius. ff. de hæred. instit. Si tamen vitijs malisq; moribus se contaminant ij, qui virtutum claritate nobis præluere debent: meminerimus illis aliquando, nisi resipuerint, propter mala exempla grauiorem irrogandam esse pœnam. l. omne. §. in acie. ff. de re milit. Quamobrem causam non decet nos ita Lynceos esse in eos, qui parum decenter vitam institue-

instituerunt: sed cum non omnes per omnia, sed certè
 per certa vel meliores, vel deteriores inueniantur, ut
 Iustinianus loquitur in l. 2. C. de vet. iur. enucl. nec
 status Ecclesiasticus ita corruptus est, ut in eo non
 sint, qui vitam honestè, pieq; transigant, meliores imi-
 tari studeamus, spretis & neglectis vitijs ignauior-
 rum: eorum siquidem exempla, quibus meliores fieri
 possumus sequenda nobis proponere debemus. l. aut
 facta. §. si. ff. de pen. non verò eorum, quibus & nos
 corrumpamur, ac deinceps ex mutua vitiorum imi-
 tatione refugium quæramus. Auth. de his qui in
 Ostren. illi. contrah. nupt. circa fin. coll. 10. multitu-
 do enim delinquentium non præstat patrocinium de-
 licto. c. 2. extra. de censib. lib. 6. iuncta glo. Quare ne-
 mo propter paleas ventilabro iudicis excutiendas re-
 linquat aream domini: nemo propter zizania in mes-
 se comburenda excedat agro: nemo propter pisces ma-
 los in littore, hoc est, in fine mundi separandos, rum-
 pat retia: nemo propter hædos atque hircos in iudicis
 aduentu segregandos deserat gregem: nemo propter
 vasa in contumeliam facta, migret ex magna domo
 Domini. Quin hoc cogitemus, quòd Deus, in cuius
 manu cor regis, & omnium eorum qui populo Chri-
 stiano præsunt, & quocunq; voluerit, inclinat illud.
 l. inter claras. §. scriptum est. C. de sum. Trin. & si.
 cath. Regnare is aliquando permittit hominem hy-
 pocritam, ignauium vel impium propter peccata po-
 puli, ut sit quemadmodum populus ita & sacerdos.
 Dat quandoq; Deus improbis potestatem, ut & bo-
 norum patientia probetur, & malorum iniquitas
 puniatur. Huc tamen obedire præcipit Christus, ut

Ephel. 4.

qua sedentes in cathedra nos doceant, faciamus, quæ autem ipsi perperam faciant, fugiamus. Non enim frustra nobis Deus proposuit magistratus ac doctores, quorum imperio & doctrinæ quisquis nõ obtemperat, culpa carere non potest. l. non potest. ff. de reg. iur. Meminerimus etiam illos æquæ esse homines atq; nos, & hoc ipso nomine peccatores, quia homines, quorum omnium similis penè natura est. l. veteris iuris. C. de contrah. & commit. stip. aded ut quodammodò labamur ad delicta. §. si verò. auth. de monach. roll. 4. tanta nobis imbecillitas naturaliter inest. l. 2. §. si quid autem. C. de vet. iur. enucl. Si qua igitur humana nos inuaserit tentatio, eam omni cum modestia & mansuetudine, ut Apostolus monet, feramus, & nos mutua patientia toleremus in charitate, ac si qui sunt firmiores, imbecillitatem infirmorum sustineant: nec alia de re magis solliciti simus omnes, quàm ut seruare possimus vnitatem spiritus in vinculo pacis, alter alterius onera portando: sic enim adimplebimus legem, iuxta eundem Apostolum & glo. in l. mediterraneæ. C. de annon. & tribut. lib. 10. Restat ut pius Lector hanc nostram operam, si non, ut res postulat, exquisitam, Christiano tamen pietate optimoq; animo profectam, æqui boniq; faciat, nosq; pijs precibus Deo commendet.

